

STANISLAVM OLÓMVTZENSEM EPISCOPVM.

ut uotis meis satis fieret. Itaque Tertulliani libros secū attulit, quos ab illo paulopost apud Basileā agēs accepi nō minori gaudio quā si gēmas mihi misisset. Clamabā statim *ὦ φιλὲ ἐυδαίμωνίᾳ*, felicē me putās cui tātus thesaurus obtigisset. Et quia tum apud Frobeniū praela uacabant, uixdū per specti libri typis excudi cœpti sunt. Nolebam enim praelorum & cōmodati uoluminis oportunitatem, hoc est occasionē ipsam amittere, quippe qui scirem intra præstitutum tēpus codicē remittendum, & praela si semel alicui operi mancipientur, expectandum fore donec id absolueretur. Quod nisi hīs rationibus inductus maturandum putassem, nō fuisset à nobis æditus Tertullianus. Nam si per ocium mihi cōtigisset opus euoluere priusquam informari cœpisset, tot mendis compertis ab ædendo supersedissem. quis enim cum tam corruptis exemplaribus quicquam agere tentet? Enimvero sperabam ego Paterniacensem codicem in hīs saltē libris quos ille cōplectebatur, Hirsaugiensi subuēturū, sed diuersum euenit. Si locus mēdosus accidisset, ut sunt omnia mēdis plena, tam erat utrobique corrupta scriptura, ut alter ab altero uideretur descriptus. Sed quoniā hoc in triueram (iuxta prouerbiū) exedundum mihi fuit. Quā uero molestus fuerit hic labor, dici non potest. Hoc unum tamen mihi solatio fuit, quod hac opera uidebam consuli bonis studijs, & gaudebā uetustissimū inter ecclesiasticos scriptorem qui primus è Christianis apud Latinos rem euāgelicā à temeritate hæreticorū studuit asserere, erutum è tenebris luce donari. Quanquā erant quæ inter legendum me offenderent, de quibus paulopost disputabimus: sed cogitabam apud me, esse ueterem autorem & inter Latinos omnium primum, qui omnia concilia antecessisset, in quibus de uarijs rebus statutum est, de quibus aliter olim senserunt ueteres: itaque boni consulenda & in meliorem interpretanda partem, quæ apud hunc legerentur nō apertis conciliorū sanctionibus, aut illustrium doctorum scriptis damnata. Quem animū si candidus quisque lector attulerit, nihil dubito quin in perquam paucis sit offendendus. Fateor enim in Noua prophetiæ mentione cuius nōnunquā meminit, & in Monogamiæ libro ubi uim facit uerbis Apostolicis, quæ ad suā causam contentiose torquet, quemlibet pium multū offendi: sed illa magis est ridicula & stultior, quā cui fides haberi possit, etiā si illam Romanus Pontifex nullus damnaasset: ab hac autē hodie non ita multū est discriminis, cum polygamia tam passim celebretur: ut mittam quod autoritate patrum orthodoxorum iuxta diui Pauli doctrinā, monogamia relata est in classem eorum quæ consuluntur non quæ præcipiuntur, imò semper in eo numero fuit, quæ admodū & cœlibatus, contra quorundā hæreticorū sententiam qui stupro secundas nuptias æquabant. Sed quanquā Tertullianū diuus Hieronymus, æmulatione clericorū Romanorū in eam Montani hæresim se

*Theſaurus inaccessibilis*

*Sciet mendis Tertullianus*

*utrobique corrupta scriptura*

*Tertullianus Evangelicus*

*Concilia Sathanica fecerunt omnia*

*Quo concilia per aliam qm antiquam seruare fidei*

*Nihil potest seruare Romanus pontifex*

*liber de noua prophetia*

a 3 cundas